

sive Ecclesiastico, uti & de Beneficio Ecclesiastico.

CAPUT V.

De Titulis ab usura mutuuum excusantibus.

43. Licet nullum ex mutuo lucrum exigi possit, ratione *præcise mutui*; sunt tamen aliqui tituli mutuo extrinseci, propter quos mutuans potest absque usuræ nota aliquid petere supra sortem. Hi sunt præcipue duo, scilicet damnum emergens, & lucrum cessans. Primum est, cum quis ex eo quod alteri mutuet, injuriam patitur in bonis suis; ut si pecuniam ædium refecioni destinata, aut solutioni debitorum mutuam des cum tuo detrimento. Tunc licet in mutuo auctarium exigere; cum nemo teneatur cum damno proprio beneficium alteri præstare, nisi in extrema, vel valde gravi necessitate. Alter titulus est lucrum cessans, cum nempe mutuans privatur lucro justo; quod ea pecunia certo, vel saltem probabiliter facturus fuisset. His possitis sit— non statim metuo.

44. *Quæst. 1.* Quænam requiruntur conditiones, ut in mutuo possit aliquid exigi supra sortem ratione damni emergentis? R. quatuor, scilicet 1. ut ab initio auctarium in pactum deducatur; nam post contractum initum nihil petere mutuans potest, etsi de suo damno fuerit immemor, nisi vi, metu, vel fraude coactus fuerit, ut ait S. Th. 2. ut mutuum revera sit causa damni, ex mutuo emergentis; alioquin deesset justus titulus exigendi aliquid supra sortem. 3. ut non plus exigatur, quam sit damnum, quod

timetur ex mutuo; imo vero aliquid etiam deducatur arbitrio prudentum, si damnum non sit omnino certum. 4. ut præmoneatur mutuarius de vero damno, vel alio titulo justo exigendi quidpiam ultra sortem; nam forte si sciret, in illum contractum non consentiret. Quod si nesciens consentiat, putans contractum usurarium; evenire potest, ut esperet, postea non solvere usuras, vel illas sibi compensare. His conditionibus addunt aliqui, ut damni compensatio non fiat statim, sed pro eo tempore, quo damnum timetur eventurum.

45. *Quæst. 2.* Quænam sunt necessariæ conditiones, ut liceat exigi aliquid supra sortem ratione lucri cessantis? R. 1. est, ut mutuum sit vera causa, cur lucrum cesset; nam si pecunia, quam mutuam dedisti, non erat destinata negotiationi, vel alii quæstui honesto, aut habes alias pecunias otiosas, quibus potes pariter negotiari, aliunde cum illis non negotiaturus, ita ut ex ea pecunia, quam mutuas, nullum lucrum fecisses; revera non extat titulus lucri cessantis, adeoque quod exigitur, ratione præcise mutui exigitur. 2. conditio est, ut lucrum ex mutuata pecunia cessans sit certum, vel saltem probabile. 3. ut moneatur mutuarius, & de lucri compensatione consentiat. 4. ut non exigatur totum lucrum, sed solum quantum spes illius valet iudicio prudentum, deductis expensis, & laboribus. Denique ut lucrum non exigatur statim, sed solum pro tempore, quo lucrum fuisset. Addunt aliqui, ut mutatio fiat animo beneficium gratuum præstandi proximo; nam si fiat spe commo-

dioris lucri videtur usura mentalis, cum ille intendat lucrum ex mutuo quærere.

46. *Quest. 3.* An mutuans juste exigit auctarium lucri cessantis, vel damni emergentis, si mutuet sponte sua, non precibus alienis compulsus? Negant Conradus, Toletus, & alii, quia tunc mutuum non videtur causa cessantis, sed ipse sibi lucrum impedit, adeoque cessat titulus exigendi. Sed probabilius alii communiter affirmant, modo pecunia, quam offert mutuam vere sit destinata negotiationi, eamque offert in gratiam alterius; quia illam solum exhibet sub conditione, quam accipiens mutuarius vere est in causa, ut alteri lucrum cesset, vel damnum emergat. Sic qui in gratiam alterius offerat, omittere jactum retis, potest exigere pretium spei jactus illius; cum alter sit vera causa, ut captio piscium sperata impediatur.

47. *Quest. 4.* An liceat exigere aliquid supra sortem pro pecunia, quæ solum erat probabiliter destinata negotiationi? R. etsi non possit aliquid exigi pro damno solum possibili, quia hoc non est pretio æstimabile; aliquid tamen potest repeti pro damno probabili, scilicet, quantum illa damni probabilitas iudicio prudentum æstimetur. Unde etiam pro lucro probabili, quod re vera est pretio æstimabile, potest tantundem compensari, quantum sit verisimile, lucrum ex mutuo cessaturum. Nec caret æstimatione, privare se mutuantem in gratiam a terius ea pecunia, quam probabiliter destinatam habet negotiationi. Nisi illi possis aliam substituere, quam nec reservatam habeas ad negotiandum, nec ad

usum familiæ, vel ad alios quæstus honestos.

48. *Quest. 5.* An ratione periculi admitte-ndæ sortis licet aliquid supra sortem exigere? Negant Toletus, Navarrus, & Soto, quibus suffragantur aliqui recentiores; sed communior, & probabilior sententia affirmat, pro periculo extraordinario, & certo, vel probabili posse aliquid moderatum exigi supra capitalem summam; licet id non liceat pro periculo communi, & intrinseco mutui. Atque idem dici potest de difficultatibus, laboribus, & expensis extraordinariis; quæ jure timentur in recuperanda sorte. Est ratio, quia tam illud periculum, quam hæc difficultas est pretio æstimabilis, & aliunde non est communis, & intrinseca rationi præcise mutui. Confirmatur ex Conc. Lat. Sess. 10. damnante tanquam usuram lucrum omne, ex re infrugifera perceptum, secluso titulo laboris, sumptus, aut periculi. 2. ex declaratione S. C., quam referunt Tournelyus, & Cabassutius, quæ mercatoribus Sinensibus permittit, ut *aliquid recipiant ratione periculi probabiliter imminentis, & qualitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id, quod accipitur.*

49. Verumtamen ut juste aliquid supra sortem exigatur, opus est 1. ut verum sit periculum, & extraordinarium ex dictis. 2. ut tale periculum deducatur in pactum. 3. ut mutuarius non cogatur illud subire, si velit per pignus; aut fidejussionem, vel alia via assecurare sortem. 4. ut id quod exigitur, sit quid moderatum, iudicio prudentum, servata proportione inter periculum & auctarium. Nec obstat c. navigan-

ti de usuris, ubi legitur: *naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum; recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Nam in hunc textum mendum irrepsit, & ommissa est particula *non*: ita censens Barbosa, Layman, Cabassutius. Fagnanus ait, eam declarationem intelligendam esse pro foro externo tantum. Alii denique censent, eam intelligi de illo, qui cogit mutuatarium ad talem contractum, nec aliter mutuari vult.

50. Hinc nota, montes pietatis ita probatos esse a Conc. Later. sub Leone X. ut in eis aliquid moderati lucri supra sortem accipiatur pro solis Ministrorum expensis, & conservatione rerum, quæ ad illos deferuntur. Ut autem tales montes licite erigi possint, tres omnino conditiones requiruntur 1. ut pecunia tradatur pauperibus infra limitem certæ summæ, pro tempore definito restituendæ. 2. ut pignus a debitoribus exigatur, & a ministris custodiatur usque ad præfixum tempus; quo elapso vendatur sub hasta, & retento pretio, quod monti debetur, reliquum domino pignoris restituatur; vel si ille non inveniatur, detur pauperibus, vel ipsi monti applicetur, si pauper sit, & in necessitate versetur succurrendi pauperibus. 3. ut non detur pecunia montis nisi pauperibus; adeoque peccant divites, qui pecuniam a monte accipiunt, ut alias lucrentur, scilicet si exinde pecunia deficeret ad subveniendum pauperibus.

51. *Quæst. 6.* An liceat mutuanti pascisci de pœna, si non solvat suo tempore? R. affir. si

fiat debitis conditionibus, quæ sunt. 1. ut pœna apponatur ex animo consulendi firmitati contractus, non autem lucrandi. Unde manifestum est indicium pravæ voluntatis, ut Toletus ait, si mutuans optet sibi non solvi præfixo tempore, ut lucrum accipiat loco pœnæ. 2. ut debitor sit in culpa non solvendi tempore definito. 3. ut non imponatur pœna pro eo tempore, quo scitur eum non fore ad solvendum; tunc enim pactum esset usurarium. 4. ut pœna sit moderata secundum mensuram culpæ, & rei, quæ mutuatur. His positis conditionibus pactum est licitum, adeoque obligat ante sententiam iudicis, si mora sit culpabilis, & non sit brevissima; hæc enim pro nulla reputatur.

52. *Quæst. 7.* Utrum si quis bona fide contractum ineat usurarium, & lucrum exigat; re postea comperta, possit illud retinere, si aliunde contrahere poterat ex justo titulo, puta lucri cessantis, vel damni emergentis? Negant Salmant. & alii, quibus adhæreo: quia ita contrahens non potest dici voluntatem habuisse ita contrahendi neque explicitam, neque implicitam, cum solum de contractu illo usurario cogitaverit. Nec satis est voluntas interpretativa ad contrahendum: imo ad mutuum ex justo titulo exigendum requiritur, ut de illo mutuatarium admoneatur, aut saltem, ut uterque contrahens in illum tacite, vel expresse consentiat.

53. *Quæst. 8.* Quænam pacta mutuo liceat apponere? R. regula generalis est S. Thomæ 2. 2. q. 78. a Theologis omnibus recepta, omne onus pretio æstimabile, tanquam ex iustitia de-

bitum, sine usuræ labe imponi non posse in contractu mutui. At potest exigi, secundum S. Doct. res, quæ pecunia non mensuratur, ut benevolentia, amicitia, & similia. Potest quoque exigi id, quod aliunde debitum erat ex justitia, v. g. ut desistat a vexatione injusta, vindicta, cet.; quia hoc non est onus novum imponere. Licet quoque petere pignus, vel hypothecam pro securitate mutui; sed non licet pascisci, ut amittatur pignus non facta solutione suo tempore, nisi pignus ejusdem sit valoris, ac sors mutuata. Licitum est tamen pactum de vendendo pignore post elapsum tempus solutionis, & de ipso sibi solvere; imo & de pignore sumendi sibi aliquid moderatum in pœnam moræ. Usurarium est autem pactum quod dicitur *antichræisticum*; quo creditor uti possit pignore, ejusque fructibus, ut ait S. Th. 2. 2. q. 78.

54. *Quæst. 9.* An mutuanti liceat exigere id, quod non ex justitia, sed ex charitate, vel alio nomine debitum est? R. id in pactum deducere non licet in mutuo; quia omne onus, quod imponitur mutuuario ex pacto, tenetur ipse præstare ex justitia, adeoque evadit pretio æstimabile, quod est contra naturam mutui; hoc enim omnino gratis præstari debet. Itaque non licet mutuanti pacisci cum Medico, ut medeatur, alio deficiente; cum advocato, ut pauperi patrocinetur; cum dicitur, ut in necessitate subveniat; & alia his similia, quæ licet debita sint ex charitate, non sunt debita ex justitia ante omne pactum. Neque licet mutuanti pactum apponere, ut mutuarius condonet injuriæ satisfactionem ad

quam non tenetur; cum hoc sit imponere onus pretio æstimabile.

55. *Quæst. 10.* An licitum sit pactum remutuandi? R. S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. *licet simul mutuanti aliquid mutuum recipere: non autem licet obligare ad mutuum in posterum faciendum.* Unde licet hortari mutuatarium ad remutuandum eodem tempore, atque etiam petendo ut domum tibi locet, frumentum vendat; quia potes ab altero petere officium amicitiae, quod ille a te postulat; modo ipsi non sit magis onerosum. Secus autem, si obligares in futurum; imo nec licet id in præsentem exigere tanquam onus mutui, vel tanquam ex justitia debitum; adeoque non licet id deducere in pactum, quamvis liceat petere, vel accipere, si gratis offeratur. Generaliter loquendo usura est imponere pactum novum, vel novam obligationem mutuuario v. g. ut te commendet alteri, præstet aliquod munus vel a lingua, vel a manu, vel ab obsequio, ut loquitur D. Thomas.

56. *Quæst. 11.* An liceat pactum, ut reddatur res mutuata in eadem specie, & quantitate, quando creditur plus valitura? Non est dubium, posse a mutuante id oneris imponi, quando incertum est, an pretium augendum sit vel minuendum. Pariter, quando rem mutuatam erat servaturus usque ad tempus, in quo valorem ejus crescendam esse certo sciebat. Item licet mutuare frumentum vetus pro novo, dum nescitur, an istud plus valiturum, vel an futurum sit veteri melius. Quæstio solum est, cum res merito putatur, plus valitura tempore restitutionis.

R. si nullum cogitatur, nec attenditur incrementum, sed bona fide fit pactum, licet exigere, ut reddatur suo tempore in eadem specie, & quantitate; præsertim si commune sit periculum incrementi, aut decrementi. Secus vero si fide non bona initur pactum cum spe lucri; hoc enim in mutuo intendere nunquam licet præcise ratione mutui. Pactum autem reddendi pecuniam in alia specie; omnino est usurarium, cum sit onus pretio æstimabile.

57. *Quæst. 12.* Utrum usurarius acquirat dominium lucri, per usuram acquisisti? Negant S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3. & cum eo TT. plures contra Scotum; Navarrum, Lugo, & alios, quia contractus usurarius est omni jure nullus; nuda autem traditio rei non transfert dominium ex lege nunquam, ff. de acquirendo rerum dominio. Hinc usurarius tenetur restituere non modo usuras, sed & fructus per illas acceptos, si percepti sint ex rebus, quæ usu non consumantur, puta ex domo, agro, cet. quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, & ideo ei debentur, ut ait S. Doctor. Secus vero si fructus sint meræ industriæ. Ad eandem restitutionem tenentur secundum probabiliorem sententiam ii omnes, qui consilio, aut pecunia usurario mutuata sunt efficax causa injusti contractus. Excipiunt multi, nisi pecuniam dent in gratiam mutuatarii; vel nisi eam negare non possint sine damno superioris ordinis, quam esset damnum mutuatarii.

58. *Quæst. 13.* An peccet, & teneatur ad restitutionem deponens pecuniam apud eum, quem scit abusurum ad usuras? R. D. Th. 2. 2.

q. 78. art. 4. ait: quod si quis committeret pecuniam suam usurario, non habenti alias unde usuras exerceret, vel hac intentione committeret, ut inde copiosius per usuram lucraretur, daret materiam peccandi, ut & ipse esset participans culpæ. Unde videtur ipsum non solum peccare contra charitatem, ut placet multis; sed etiam contra justitiam, scilicet participans culpam mutuatoris, quæ certe est iniustitia. Nilominus ita deponentem censeo non esse obligandum ad restitutionem; cum actio sua cedat potius in gratiam, quam in injuriam mutuatoris, qui gratum habet apud se deponi pecuniam, unde sibi possit providere. Et licet quodammodo violet justitiam, cooperando alterius iniustitiæ; non tenetur restituere, quia non lædit justitiam in particulari, nempe peculiare jus alterius, nec injuriam facit ei, qui non est invitus. Et sic intelligi potest D. Thomas.

59. *Quæst. 14.* Quomodo peccent alii, usuris cooperantes? R. 1. Principes, Judices, & Advocati, qui sunt in causa, ut usuræ solvantur tenentur ad restitutionem; sicut ii, qui non escludunt a locis suis usurarios. Imo excommunicantur ipso facto ex Clement. Ex gravi de usuris; nisi tamen ob bonum publicum illos permittere expediret. R. 2. si usurarius tibi debitor assignet tibi usuras, non potest eas juste exigere a mutuatario; quod si exigas, teneris restituere. 3. famuli, & alii domino cooperantes ad exigendum usuras peccant, & tenentur ad restituendum; non ita famuli minus principales, qui solum remote adjuvant, scribendo;

aut numerando pecunias, cet. 4. non licet petere mutuum sub usuris, nisi excuset gravis necessitas propria, vel aliena, in qua peccatum petenti non tribuitur, sed malitiæ dantis.

60. *Quæst. 15.* An hæredes usurarii, vel alterius debitoris teneantur ad restituendum in solidum? R. si debita sint hypothecaria ex contractu, omnes tenentur in solidum, ut fert communis sententia. Quod si sint personalia defuncti ex delicto, adhuc eos teneri in solidum, docent Canonistæ ex cap. *Tua nos 9. de usuris: filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui.* Sed satis probabiliter alii docent, solum teneri pro rata, nisi defuncti delicto cooperati fuerint. Ita Cajet. Toletus, Azor, quibus subscribunt Pontas, & Tournelyus. Rationem autem dat Cajetanus, respondens ad textum, supra adductum: filii tenentur, sicut & Pater, obligatione scilicet personali suorum bonorum; sed in hoc est differentia, quod pater est tota illa persona, ac per hoc habet totam illam obligationem; quilibet tamen hæres (scilicet filius) est pars illius personæ, & consequenter partem tantum obligationis subit. Cui opinandi modo favere videtur lex *1. c. de delictis def. l. 4. tit. 17.*

Nota, usurarius publicus, sive notorius ex jure est infamis, nec potest admitti ad communionem altaris, nec absolvi, donec restituat usuras, nec sepeliri in loco sacro, & qui scienter eum sepelit, est excommunicatus ipso facto ex *Lat. III. & Lugd. 4.* Addit Laymanus, testamentum ipsius irritum esse, nisi ante mortem restituerit.

CAPUT VI.

De emptione, & venditione.

61. *Quæst. 1.* Quid sint emptio, & venditio? R. emptio est contractus, quo pretium pro merce solvitur, completurque mercis traditio: venditio contra. Justitia ejus in hoc consistit, ut pretium sit justum, sive exæquet valorem rei. Alias si absque justo titulo secus fiat, committitur injustitia gravis, vel levis pro gravitate excessus, qui proinde ad restitutionem in conscientia obligabit; etsi in foro externo ad restituendum fere non cogatur, nisi qui ultra dimidium defraudaverit. Ut contactus emptionis sit validus requiritur determinatio pretii, quæ si remittatur ipsi emptori, nullus est contractus *l. quod sæpe, ff. de contrahenda emptione.* Secus si remittatur tertio *l. ult. c. eodem tit.*; sive judicio prudentum. Nec valida est emptio pro justo pretio, sed indefinito, nisi sit a lege taxatum. Postquam vero data est arrha, vel pignus pro majori securitate contractus jam initi, non licet ab illo resilire. Ubi vero consuetudo permittit; resilire licet cum arrhæ jactura, ut monet Concina T. 7. pag. 267. n. 2.

62. Notandum est autem 1. contractum emptionis solo consensu perfici, nisi ante emptionem conventum fuerit de conficienda scriptura ex *§. un. Inst. de oblig. ex cons.* Dominium autem rei non transfertur ad emptorem, nisi facta traditione, per quam ultimo completur contractus, ex *§. u-*